

§.6. *Magia Dæmoniaca* non nisi reductivè saltem & indirectè ad physicam pertinet, quatenus opposita juxta se posita magis elucescunt. Estque Physici germanam Naturæ prolem Magiã à spuria discernere, & ostendere adeò, quid valeant vires rerum naturalium quid ferre recusent, ne pro Magicis habeantur, quæ naturalia sunt, quorum jamjam fecimus mentionem, aut pro naturalibus, quæ Magica sunt. Qvalia sunt, cum per unguentum armarium statuunt vulneratum sanari posse, vel per aliquot miliaria absentem, ubi tamen nullus contactus inter agens & patiens ullo modo monstrari potest, sive corporalis ille asseratur, sive virtualis. Item cum per aquam frigidam lamias probare tentant, ac si supernatent, reas pronuntiant, si submergantur, innocentes. Nam omnium corporum humanorum proprietas gravitas est, formam terræ, quæ mistum hoc integrat, naturaliter insequens, gravia verò omnia ex se descendunt. Et compertum est, tum reas ipsas submersas fuisse, tum insontes supernatasse, Diabolo sc. qui homicida est ab initio, Deo sic permittente & superstitiones hominum efficacibus erroribus vindicante, piis etiam fæminis in aquis immerhis supponente se ac submersionem prohibente. Iterum, cum ceremoniis certis, verbis, figuris, characteribus, imagunculis, sigillis, ligaturis, crystallis, speculis, cribro, scypho, orbos inferre vel auferre, fascina declinare, res furto amissas recuperare student, quo de in subsequentiis plura?

§.7. Cæterum cum *μυριοτέχνης* sit Dæmon, milleq; polleat nocendi artibus atq; modis, singula hæc accuratè determinare nobis adeò hominibus integrum non est. Secuti tamen Clarissimos hæc in re Autores dividimus *Magiam Dæmoniacam* in *Divinatoriam, Prestigiatariam & Effectoriam*.

§.8. *Divinatoria* rerum abditarum, ope Dæmonis facta prædictio est. Ipse verò uti vel candidus vel niger habetur; Ita *Magia* hæc vel subtilis vel crassa est. Utriusq; species infinitæ, potiores tamen sunt, quæ à *Peuceiro* in hoc doctrinæ genere accuratissimo in *comment. de divinationibus* p. m. 157. adducuntur, & sunt *θεομαντεία, ιερομαντεία, πυρομαντεία, καπνομαντεία, λιβανομαντεία, οίνομαντεία, ιχθυομαντεία, ανθρωπομαντεία, ἰριδομαντεία, γαιομαντεία, ὑδρομαντεία, αερομαντεία, κληρομαντεία*.